



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *MATIENSIS* IN INSULIS PHILIPPINIS CIVILI
PROVINCIA « DAVAO ORIENTAL » A DIOECESI

TAGAMNA DISTRACTA, NOVA CONDITUR DIOECESIS NOMINE MATIENSIS

Episcopus Tagamnus, Venerabilis Frater Petrus Dean, sollicitus quidem de efficaciore pastoralis cura atque regimine dioecetano omnium Christifidelium sibi in praesentia commissorum nuper in animum induxit, re convenienter ad Conferentiam Episcopalem Insularum Philippinarum delata, hac a Sede Apostolica petere immo et efficere ut, quibusdam suae ditionis locis semotis, nova inde constitueretur dioecetana communitas. Quam ob rem certo quidem Nos intellegentes consortem eiusdem esse consilii Venerabilem Fratrem Brunonem Torpigiani, Archiepiscopum titulo Mallianensem atque Nostrum simul Apostolicum Nuntium ea ipsa in Natione, certioresque ipsi facti eorum simul consensus, quorum interest necnon eorum qui id sua referre contendunt, at maxime animum Nostrum intendentes in ampliorem commoditatem spiritalem omnium fidelium ubique degentium, de plenitudine potestatis Apostolicae Nostrae, qua divino fungimur consilio, hisce Litteris singula quae subsequuntur statuimus fierique omnino iubemus. A dioecesi Tagamna omnem eam civilem subtrahimus provinciam, cui publicum nomen « Davao Oriental », ex itaque seiuncta regione novam condimus iure dioecetis *Matiensem* in posterum appellandam tempus, quae eisdem prorsus finibus circumscribatur quibus civilis dicio eiusdem nominis illius.

Episcopalem vero Sedem novae huius dioecetis in urbe locamus quae Mati nuncupatur ac templum ibidem paroeciale Deo dicatum ad honorem Sancti Nicolai de Tolentino ad gradum evehimus dignitatemque cathedralis aedis, cui insignia cuncta et privilegia honores et notas tribuimus quibus reliquiae in orbe catholico cathedrales fruuntur aedes. Matiensi autem Episcopo pro tempore concedimus honores insignia necnon privilegia iura, eumque simul oneribus et officiis universis obstringimus, quae ceterorum propria sunt Praesulum Ordinariorum locorum. Hanc praeterea *Matiensem* dioecetis facimus legitime suffraganeam Archidioecesi Davaensi eiusque pro tempore Episcopum subicimus metropolitico iuri Archiepiscopi Davaensis. Quo dein certius praesto sit Pastori novae Ecclesiae adiutorium ad normam iuris in eius Ecclesiae regimine ordinando volumus collegium consultorum ibidem quam primum erigi. Consentaneae et dignae sustentationi Praesulis novae dioecetis providebitur ex Curiae ipsius emolumentis, fidelium oblationibus atque etiam portione ei obveniente ex partitione bonorum, ex norma can. 122 C. I. C. perficienda, quae adhuc ad mensam episcopalem Tagamnam pertinuerunt. De seminarii autem

aedificatione et sacrorum alumnorum institutione adservabuntur iuris communis praecepta, ante oculis praesertim constitutis regulis ac normis a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica emissis. Selecti seminarii alumni, philosophicis et theologicis disciplinis rite imbuendi tum etiam sacerdotes studia completuri, Romam suo tempore mittantur ad Pontificium Collegium Philippinum. Quod porro attinet ad novae dioecesis regimen et administrationem necnon, sede vacante, electionem administratoris dioecesani, fideliumque iura et onera aliaque id genus, implebuntur diligenter omnia quae his de rebus sacri praestituunt canones. Simul ac dioecesis huius erectio ad proprium deducta erit effectum, iam sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur in cuius finibus ecclesiasticum officium detineant ; ceteri autem clerici ac seminarii tirones Ecclesiae maneant incardinati in cuius finibus legitimum habeant domicilium. Acta insuper omnia et documenta, quae constituta dioecesis ipsiusque clericos ac fideles et bona temporalia fortassis respiciunt, ex Curia Tagamna ad Curiam Matiensem rite transvehantur ubi adserventur in tabulario iam condendo. Ad haec denique cuncta legitime exsequenda fidenter quidem destinamus memoratum Venerabilem Fratrem Brunonem Torpigliani cui simul necessarias omnes tribuimus facultates et opportunas potestates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere et officio iniuncto ad Sacram Congregationem pro Episcopis reddendi authenticum exemplar actus ipsius executionis aliquando susceptae. Tandem haec universa a Nobis sic edicta decretaque valere tam in praesens volumus quam in posterum tempus harum Litterarum virtute, ullis rebus nequaquam obsistentibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die decimo sexto mensis Februarii anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	BERNARDINUS Card. GANTIN <i>S. Congr. pro Episcopis Praefectus</i>
---	---

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXVI (1984), n. 9, pp. 761-763

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana